



289

**De loco, in quo apparuit Dominus Mariae Magdalenae
in forma hortulani.**

Post capellae illius visitationem exivimus cum processione ad ecclesiam, descendentes per quatuor gradus, et statim sub gradibus in locum venimus, ubi in pavimento erant duo circuli, quinque passibus ab invicem distantes, de polito et vario marmore formati. Et hos circulos circumstetimus, cantantes ea, quae erant ad propositum, sicut processionale continet. Hic dicitur esse locus, in quo Dominus Jesus apparuit Mariae Magdalenae in forma hortulani, et in loco unius circuli stetit Dominus, et Maria in loco alterius. Hic Maria procidit ad pedes, nec passus fuit se tangi, quia nondum ascenderat ad patrem, ut habetur **Johannis XX.** diffuse.

Res hic gesta magnam peregrino poterit dare devotionem in Mariae exemplo. Dum enim in sepulchro non invenisset quem quaesivit, per omnes angulos horti cucurrit emigrans, nunc huc, nunc illuc, et tanto amoris urebatur incendio, ut foemineae infirmitatis oblita nec tenebrarum caliginem, nec persecutorum terrorem timeret, nec custodes curaret. Sed cucurrit, circuivit, flevit, anhelavit et gemuit. Et nulli dubium, si ei dictum fuisset: **(112 A)** ecce, quem quaeris, jam mare magnum transiit, trans montana alpina migravit, ab oriente in occidentem se reduxit, et in ultima occidentis regione habitat, statim, non attentis mille periculis, mare transiisset, per montana cucurrisset, occidentem lustrasset, et usque in Hiberniam, quae ultima occidentis regio est, venisset. Sed pius Dominus hic in hoc loco apparuit, et numquam occultabit se his, qui ab occidente per tanta terrarum discrimina et aquarum pericula huc veniunt, ut eum, quem diligunt, quaerant. Non aestimo, quia promittitur Zachariae VIII. Ecce ego, inquit, salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis, et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. Ad pedes ergo Domini Jesu nos hic prostravimus, et saltim vestigia ejus deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

19

304

302

308

298

313

293

353

253

403

203

Ende

Anfang